



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vetustas, Sanctimonia, Potentia atque Majestas,
Celsissimae Augustissimaeque, Serenissimorum Ducum
Brunsvicensium Ac Lyneburgensium Domus**

Mader, Joachim Johann

Helmeftadii, 1661

VI. Ejusdem compilatoris Hamerslebiensis Gregorius Papa V. Saxo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10983

VI.
EIVSDEM
COMPILATORIS HAMERS-
LEBIENSIS
GREGORIUS PAPA V.
Saxo, natus in *Wetwerode*.

GREGORIUS quintus Saxo genere, *Othonis III.* propinquus pulsus à *Crescentio* Consule, suffecto Pseudo-Pontifice quodam *Iohanne*, ab ipso *Othone* restituitur: qui primo in arce *Crescentium* Consulem & *Johannem* obsedit. Illi spe veniæ supplices ad imperatorem adcentes, alter in via trucidatur, alter *Johannes* exoculatur. Hic instituit, ut deinceps Imperatores Romani à sex Germanis viris, addito Rege *Bohemia* legerentur. Hi sunt: *Coloniensis*, *Maguntinus* & *Treverensis* Præsules; *Dux Saxonia*, *Comes Palatinus*, *Marchio Brandeburgensis*, anno MII. Sedit annos II. menses VII. Hujus elogium sepulchri conditi apud aram *D. Gregorij* in basilica *Petri*, vitam ejus testans, legitur hodie his versibus barbaris:

Hic, quem claudit humus, oculis vultuq, decorum,
Papa fuit Quintus nomine Gregerius.
Ante tamen Bruno Francorum regia proles,
Filius Othonis de genitrice Iudit.
Lingua Teutonicus, Wangia doctus in urbe,
Sed juvenis cathedram sedit Apostolicam,
Ad binos annos & menses circiter octo,
Ter senos Februo commemorante dies.
Fauperibus dives per singula sabbatha vestes
Divisit, numero cantus Apostolico.

Vsus

*Vsus Francisca, vulgari, & voce Latina,
 Instituit populos eloquio triplici.
 Tertius Otho sibi Petri commisit ovile,
 Cognatis manibus unctus in imperium.
 Exiit & postquam terrena vincula carnis,
 Aequivoci dextro substituit lateri.
 Decessit XII. Kal. Martij.*

VII.

ALTERIVS

Cujusdam de Cathedrali

GOSLARIENSIVM ECCLESIA

Ab HENRICO III. fundata narratiun-
 cula, exscripta & correcta

*ab hoc**Eodem Hamerslebiensi Monacho.*

HENRICUS Cæsar Rex tertius, filius vel socer *Conra-*
di, Ecclesiam GOSLARIENSEM, cujus jam *Conra-*
di fundamenta jecerat decessor, regio cultu absolu-
 tam, dedicari fecit per manus sanctissimi Pontificis *Leonis* no-
 ni, præsentibus Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus LXXIII.
 quam Ecclesiam idem Imperator voluit appellari *Imperii Ca-*
pellam, & Canonicos ipsius *Capellanos regios*. Operam ergo
 dedit exactam, ut viros tanto honore dignos eidem Ecclesie
 præficeret, siquidem etiam regni illic sedem constituerat. E-
 lecti igitur sunt ex omni fere *Germania* viri doctissimi ac reli-
 giosissimi, inter quos & venerabilis *Benno*, maximis Impera-
 toris precibus jubente præfato *Leone* Papa vix tandem à mo-
 nasterio suo extractus, ac dictæ Goslariensi Ecclesie novæq;

T

con-